

Regia Celsitudini ~~Joanni~~

Josepho Antonio Joannis Baptistae

Archiducis Austriae, Regni Hungariae Palatino Equitis
Velleris aurei, Rei Tormentariae in S. R. M. exercitibus Supremo
Duci, Legionis Hussarorum Praefecto Proprietario etc. etc. etc.

Saepe mihi cum voluptate redit in mentem fortunatissimus ille dies,
quo liberali presentia tua, Optime Princeps, Regium hunc Hortum
Botanico Medicum honestasti. Morabantur hic attentos et peritos au-
los tuos non tam arte de venusto ordine distributa, aut salientium hinc
inde aquarum ductus, et proximo Medico artificiose derivati, quam
praetariores quaelibet Vegetabilium species, et adjacentis nemoris eximia
pulchritudo, ubi *Liliodendron Tulipifera*, *Sterculia Plataniifolia*, *Diospy-
ros virginiana*, *Magnolia grandiflora*, *Robinias*, inter et *Cedritias*,
interque *Platanos*, et *Bignonias*, *Catalpas*, ceterasque peregrinas ar-
bores, *Guaranis florentis* Haeret, autem animo alre insculptum meo
quod tam clementer Benignitas Tua postulat, jamque illico potuissem
aliquo pacto satisfacere muneri meo, Tibique expetitam omnium
Plantarum Seriem exhibere: sed consilio destitui, ut accuratorem darem.
Singulari enim annis neutralis Vegetabilium Familia augetur numero, vel
saltem ut laugeatur, curamus, implet omnem, quandoque diligentia et in-
dustria vim tempestatam vices eludant, et magnos nos dolore afficiat
quarundam magni praeter Plantarum ineluctabilis jactura. Praeterea cum
Hortorum Catalogi conflentur non solum ex nominibus Plantarum, quas
antea fidelibus oculis examinandas natura subiecit, sed etiam ex ea-
rum seminibus, quae ab longinquis, externisque regionibus ad nos usque
perveniunt, saepe accidit, ut ejusmodi semina, alias nequaquam germinent,
ac proinde praconceptam spem fallant, nosque in incerto relinquant,
alia vero deliciant, quibus cotyledones, frondesque suas, sed praestituta
sibi nomina, tanquam aliena, abiciant, et turpissimi erroris, aut menda-
cii auctores certis characteribus, atque ipsa natura voce irrideant. Ut
haec incommoda, ac probra effugerem, sub extremum Autumnum expectandum

esse putavi, ut et censum absolverem seminum illorum, quae solent sub
id temporis maturare, utque Plantas singillatim omnes expendere, ac
viderem, utrum acceptis antea seminibus accurate responderent, nec no. Sic
factum est, ut integram seriem texere et conficere potuissem Vegetabilium
annualium, biennialium, perennium, et quot omnis Italia, quot Europa, quot
alia Orbis terrarum partes in hunc Patavinum Hortum transmitterent ad
ornamentum Civitatis, ad eruditionem studiosae juventutis, ad Medicorum
praesidium, ad Aegrotantium utilitatem. Hac itaque opportunitate capta, Pras-
tantissime Princeps, mandatis tui perhonorifici melior pactam fidem
exsolvo, et Patavini Horti Catalogum, meque cum illo ante tuos pe-
des abjicio. Hic ille Hortus est, qui primus ante omnes alios, qui Europa
tota extiterunt, publicis paruit usibus, et exercitationibus Scholarum;
qui tot jactat Praefectos et Magistros plane insignes, Aloysium An-
guillam cognomento Herbarium, Crulandinum, Prosperum Alpium,
Equitem Joannem Vestingium, Pontederam, aliosque, magna ingenii
lumina, magna nostri nominis ornamenta; cujus institutio (ver-
tente anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto) innume-
ras prope laudes undique conciliavit Senatus Veneti sapientia,
et Sebastiano Foscareno Studiorum Moderatori, qui ad id delectus
a Suis Patavium venit, locum comparavit et instruxit opportunis-
simum, nec unquam postea tota vita destitit Maconatis liberalissi-
mi erga illum curas ac studia exhibere. Hoc exemplo nobiliter excitati
et Viri Principes, et privati Botanices Cultores Hortos passim ad
hujus normam construere tum ad illustranda Gymnasia, Studii-
rumque Universitates recens institutas, tum ad hujusce Scientiae
gloriam dignitatemque propagandam. Quare si pro singulari Tuo
in Botanicam Disciplinam amore ac studio aliquando Tibi placuerit
a gravissimis curis mentem avocare, atque oculos paulisper con-
vertere ad hanc Plantarum seriem, quae in hoc Regio Viridario
vigent, ne mixeris, oro, Princeps peritissime, ubi deesse perspexeris

præclava multa ex iis, quæ calidius in regionibus oriuntur, et adolescent,
 quæque aliis quidem in Hortis ab hyemis injuriis prope intacta feliciter
 asservantur. Nostra enim hyemalia Plantarum Xenodochia, sive Hy-
 bernacula, ^{et Tepidaria,} heu quam angusta, et quot incommodis obnoxia! Caldaria au-
 tem, sive Hypocausta, si hoc notanda sunt nomine, ita extructa sunt,
 ut in ipsis nullo modo temperari possint multiplices illi caloris gradus, qui
 multis et subinde variantibus Plantarum necessitatibus accurate respon-
 deant. In ejusmodi herbariis, ut ita dicam, carceribus cogor profecto,
 urgente hyemis asperitate, nimis multa simul coacervare ea Vegetabilia,
 quæ mitres et calidas ortas amant, quæque in hoc Censu descripta sunt. Hinc
 nonnulla ex iis quotannis ante Ver, me insperante et dolente, emoriuntur,
 cum imploratam ab ipsis opem afferre non possim, verante loci conditione.
 Verum ubi primum, perturbationibus Europæ sedatis, optatissima Pax
 floruerit, curas jam suas beneficentissimus Franciscus II. Aug. Impi. ad
 liberales Artes ac Scientias fovendas promovendasque converteret. Illu-
 cescat tandem aliquando expectata dies, et Te favente, Paravinus Hortus
 nobilissimis Vegetabilibus, quibus caret, et opportunis Hybernaculis, ~~Te~~ Tepidariis, et
 Hypocaustis exornetur, ut si cæteris antiquitate præstat, cæteros
 quoque amuletur earum etiam cultura Plantarum, quas modo in-
 casum tævi et custodire conamur. Tunc profecto (me utinam!
 viva et plaudente) citra omnem assentationis suspicionem inter has
 peregrinas florum, herbarum, plantarumque Familias, inter Lau-
 reas et Palmas, veluti tandem Gentilia Stemmata, semper honos
 Nomengue Tuum florebit et virescet.

Regia Celsitudinis Tuæ

Die trigesima Decembris

Nob: Paravii ~~die~~ tertio kal. Januariæ 1801.

Humillimus

Servus ~~Munitimus~~ Devotissimus

Obsequentiissimus

Joseph Anr. Bonato Horti Paravini Præfector, et

Regius Botanicus Professor

Catalogus Plantarum

Horti Regii Botanico-Medici

fforti Botanico-Medici

Casareo-Regia Academia

Patavina

MDCCL

*

Astericus Plantarum indicarum, quarum semina conservantur
externis Botanice cultis pariterque

exterioribus Botanice cultis pariterque

exterioribus Botanice cultis pariterque

exterioribus Botanice cultis pariterque

exterioribus Botanice cultis pariterque

exterioribus Botanice cultis pariterque